



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

Praefatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433



PRÆFATIO

A D

LECTOREM.

B Revis nuper populi instructioni, & ob hoc Flandrico idiomate, edita est ad pœnitentiam Manuductio, quâ legitimus ejus modus, quo comparanda est, & agenda concinnè, & communi captui accommodatè exponitur. Perutilis est libellus, & hoc tempore opportunè conscriptus, ut multorum vel ruditas instruat, vel socors, & perniciofa in peccatis excitetur securitas. Sic autem singula proponit, ut nescias quid amplius mireris, brevem sed claram & exactam doctrinam, an congruam discretionem. Propter quod avidè & magno etiam eruditorum applausu fuit exceptus, ut pauco tempore diversis in urbibus typum sæpius repeti fuerit necesse. Ejusmodi verò ex nunc fructum fecit, qui solus sufficiat, ut impensi laboris non possit pœnitere Auctorem. Plura de eo dicere supersedeo; non enim nunc per me commendari eget, cujus laudem, non Belgæ modo, sed & extere nationes loquuntur.

Quedam tamen prodiit Appendix, Auctore nescio

P R Æ F A T I O.

nescio quo Francisco Carolo Reymakers
(effectum quippe est & mundo ignotum nomen)
alteri cuidam ejus opusculo conjuncta, quâ Ma-
nuductionis hujus doctrina variè impetitur, atque
arguitur. Hanc Appendicem accuratè pervolvi,
si quid fortè non rectè in Manuductione assertum,
quod aliorum non viderat incuriosa benignitas,
districtior hujus inspectio denotasset. Hanc enim
ob causam amico veritatis prodest etiam apertus
contradictor, qui assertionibus ejus ex opposito ob-
luctando, sæpè detegit, quod cæterorum præterie-
rat incautus favor. Verùm nihil hujusmodi repe-
ri per hanc Appendicem effectum, neque Manu-
ductionis doctrinam in aliquo infirmatam. Pro-
pter quod nullâ huic opus est defensione; ipsa sibi
sufficit, ut nec verbo ad hanc Appendicem reposit-
to, cujuscumquè æqui & sapientis lectoris judi-
cium non debeat vereri & multum etiam tardis
aut ad dijudicandum rudibus sufficere debet supe-
rior Apologetica Epistola.

Verùm in hac Appendice varia prolata sunt, quæ
ignaris persuaderi forsàn facilè foret, at multum
periculosum: deindè pleraquè fere tangit, unde
pendet commota hodie circa conversionem peccato-
ris, & praxim administrandi pœnitentiæ Sacra-
menti controversia, quæ plenius exponi & con-
gruis fundamentis confirmari, jam dudum fuerat
desideratum; oblatâ autem nunc per Appendicem
occasione, aptè fieri posse existimabatur. Non va-
cabat

P R Æ F A T I O.

cabat autem id *Manuductionis Auctori* multiplici-
bus commissi sibi muneris curis graviter distento.
Propter quod, cum majus mihi otium esset, hunc
à me laborem voluit suscipi: terrebar quidem ipsius
operis magnitudine, & quod nunc non nisi quod
exactum foret & plenè examinatum censerem de-
promendum, cui me parem nolebam præsumere.
Verùm cum nonnulla hac de re jam prius cogita-
tione tenerem, ac privatim mihi ex S. S. P. P.
annotassem, existimavi esse officii mei, ea quæ
jam acceperam & noveram incipere exponere, ut
quæ mihi adhuc deerant mererer accipere. Con-
gruum quippe, quin sæpe numero & necessarium
istud ad hoc esse medium, jam dudum didiceram
ex *Augustino*; cujus & confirmabar exemplo, Comm. in
Ps. 38.
auspiciantis suos de doctrina Christiana libros: Epist. 132.
Lib. 1. de
doct. Christ.
cap. 1.
Cum in illo, inquit, sit spes peragendi
hujus operis, à quo nobis in cogitatione,
multa de hac re jam tradita tenemus, non
est metuendum ne dare desinat cætera,
cum ea quæ data sunt cœperimus expen-
dere.

Hac ergo fiducia calamum sumpsi, & circa
assertam per Appendicem doctrinam, quid verum
sit ac tenendum, pro viribus quas Deus dederit,
constitui exponere. Nullum autem hujus aut il-
lius partis affectum secutus sum, quem semper
percipienda veritati multum credidi inimicum.
Hanc dilexi & pro mea mediocritate conatus sum
assequi.

P R Æ F A T I O.

assequi. Ut autem securè incederem, salubre mihi duxi, si uti olim in exponendis divinis Scripturis

Epist. 108. ad Dom. & Rogat. S. Hieronimus, ita multò magis nunc ipse in propositarum difficultatum enodatione, non propriis viribus me crederem, nec haberem opinionem meam, sed ea etiam de quibus me scire arbitrabar, quanto magis de iis super quibus anceps eram, interrogarem; interrogarem inquam, illustres Ecclesie viros. Sic quippe de se testatur idem magnus & Sanctus Doctor, cum à Paula ad interpretationem Scripturarum compelleretur: Quod propter verecundiam negans, ait, propter assiduitatem tamen & crebras postulationes ejus præstiti ut docerem, quod didiceram, non à me ipso, id est, à presumptione & pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesie viris.

Hoc mihi nunc imitandum existimavi, hoc est, ab illustribus Ecclesie Patribus, quos post Apostolos ut primos ac optimos suos magistros & ad exponendam Catholicam Doctrinam divinitus sibi excitatos, ipsa semper est venerata, quæ didici, statui proferre. Hujusmodi autem me ex ipsis testimonia prolaturum, spero, quæ sufficiant, ut omnibus non nimium præoccupatis manifestum sit, non veteres & dudum sepultos errores uti prætendit Appendix, nunc per nos renovari, sed potius antiquam veritatem jam olim per SS. Patres manifestatam, contra novitates defendi.

Memor

P R Æ F A T I O.

Memor tamen conditionis meæ, quæ dicam, s. Bernard.
absque præjudicio sapè dixero sanius *Epist. 174.*
sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ
auctoritati, atque examini, *ea cuncta*, re-
servo, ipsius & si quid aliter sapio, para-
tus iudicio emendare.



A P.